rectangulis factis in superficie globi ex quinque circulis magnis, quorum primus secet secundum, secundus tertium, tertius quartum, quartus quintum, quintus denique primum ad rectos angulos: reliquæ vero sectiones omnes ad angulos obliquos fient.

Exempli gratia: Meridianus regionis D B, secat horizontem B E in puncto B. Horizon B E secat circulum E C, qui solem ambit (id est, qui circa solem tanquam polum ducitur) in puncto E. Circulus E C, qui solem ambit, secat meridianum solis C F in puncto C. Meridianus solis C F aequatorem F D in puncto F: & tandem æquator F D secat meridianum regionis D B in puncto D. Et omnes hæ quinq; sectiones in punctis. B. E. C. F. D orthogonaliter & ad rectos angulos fiunt: factis cæteris sectionibus in punctis Z. P. S. O. Q. ad angulos obliquos. Fientque ex his sectionibus rectangula quinque P B S, S F O, O E Q, Q D Z & Z C P, quorum quamuis partes naturales differant, & in singulis triangulis varientur, circulares tamen quinque partes eædem sunt, quæ supra, absque vllo discrimine.



5. *Eadem circularium partium vniformitas patet etiam in quadrantalibus non rectangulis factis in superficie globi ex quinque punctis, quorum primus distet à secundo, secundus à tertio, tertius à quarto, quartus à quinto, & quintus à primo distantiis & arcubus æqualibus quadranti, aliæ verò punctorũ distantiæ inæquales sint quadrantibus.*

Vt in eodem præcedente schemate puncta P à Q, Q ab S, S ab Z, Z ab O, atque O à P, distant spatiis quadranti æqualibus: at verò P ab Z, Z à Q, Q ab O, O ab S, & S, à P, distant inuicem arcubus non quadrantibus. Et fient ex his distantiis quadrantalia non rectangula quinque, P Z Q, Z Q O, Q O S, O S P, & S P Z: quorum quamuis naturales partes differant, partes tamen circulares eædem & immutabiles hîc permanent, quæ supra. Scilicet, eleuatio poli, differentia ascensionalis,

declinatio solis, angulus positionis solis, & plaga solis: quæ omnibus superioribus triangulis ex æquo conueniunt, nec his duntaxat solis, verumetiam omnibus triangulis quæ oriuntur ex intersectionibus cæteris horum decem arcuũ ad integros circulos productorum: quæ, quia plurima & cõfusa sunt, missa hic facimus. Hac epitome satis est monuisse omnem cõfusionem naturalium partium, & suarum regularum, his pauc circularibus partibus & sua regula vnica euitari, ac tolli.

6. *Quinque circularium partium, tres semper in quæstionem cadunt, quarum duæ dantur, tertia quæritur.*

7. *Atque harum trium vna est intermedia, & duæ sunt extremæ, quæ scilicet intermediæ aut circumponuntur, aut opponuntur.*

Verbi gratia, Sint partes tres in quæstione propositæ hæ, plaga solis, eleuatio poli, & differentia ascensionalis: quarum, eleuatio poli pars intermedia dicitur, & reliquæ duæ extremæ ei vicinæ, aut circumpositæ vocantur: verùm si tres partes in quæstionem cadentes forent, declinatio solis, eleuatio poli, & angulus positionis solis, vocabitur (vt prius) eleuatio poli intermedia: sed declinatio solis, & angulus positionis solis, extremæ à media remotæ, seu ei oppositæ dicentur: Par ratio est in reliquis quinque.

8. *Logarithmus intermediæ æquatur differentialibus circumpositarum extremarum, seu antilogarithmis oppositarum extremarum.*

Hoc theorema probatur inductione omnium trium partium seu triplicitatum, quæ ex quinque circularibus partibus quadrantalis prioris B P S rectanguli, constitui possunt, & in quæstionem cadere: posterioris autem non rectanguli P Z S triplicitates omittimus, quia eius omnes partes circulares (ex 18, & 19, & 20 præmissis) eædem prorsus sunt quantitate, quæ prioris. Quinque ergo partium circularium rectanguli B P S, (quæ sunt B S, seu plaga solis orientis: complementum B S P, seu angulus positionis solis: complementum S P, seu declinatio solis: complementum S P B, seu differentia ascensionalis: & P B, seu eleuatio poli) tres illæ quæ in quæstionem extremarum circumpositarum cadunt, sunt aut primò B S, complementum B S P, & complementum S P: aut secundò complementum B S P, complementum S P: & complementum